



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas Corsicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 3. *Qualitas Corsicæ.*

STERILIS: Ita Seneca Consol. ad Heluiam, vbi vocat eam insulam, *saxum nudum, abruptum, ieiunum, immansuetum, horridum, intemperans*: item *aridum saxum, & spinosum, vix ad tutelam incolentium fertile*: & ne exul hyperbolicus locutus esse videatur, apud Strabonem dicitur *ἄραχθια ἀσπερα*, & plerisque suis partibus *ἄοβατος ἰνυια*.

MELLE abundat Regio, & CERA ait Diodorus; faui in arboribus reperientis sunt: quanta autem hîc mellis copia arguit quod ait Liuius lib. 40. M. Pinarium Prætozem ex Insulâ 100. millia pondo extulisse.

TAXVS quoque arbor *l'If*, in eâ copiosè prouenit quo mella sunt amariora, vt notat Seruius ad illud Eclogæ 8.

Sic tua Cyrneas fugiant examina Taxos.

Ouidius tamen 1. Amorum Elegia 12 putat hunc amarorem ex cicutâ existerè.

N V M. 4. *Mores Corsorum.*

QVI montana incolunt latrociniis vitam sustentant, ipsi bestiis immaniores, *Strabo, Seneca Consol. ad Heluiam*, nihil esse iis hominibus immansuetius. Capti plerique à Romanis se interficiebant, *idem Strabo*. Serui Corsici si eidem *Straboni* fides, stupidi sunt, & impatientiâ, ac stupiditate dominos obrundunt; si *Diodoro lib. 4.* ad vsum vitæ videntur reliquis seruis præferendi. Iustè inter se viuunt supra alios Barbaros; oues sine pastore certis distinctæ notis nunquam domino suo pereunt; omnes rectè agendi formam iustè obseruant. Mulieris enixæ nulla cura geritur, sed eius loco, vt æger, maritus decumbit in lecto per certos dies. Longæui sunt omnes Corsi, sic *Athenæus*, & *Eustathius*.

N V M. 5. *Politia Corsicæ.*

PRIMI in eam transmisisse videntur Græci Duce Cyrno Herculis filio: postmodum Ligures duce illâ Corsâ de quâ superius. Hîc etiam vestigia Hispanorum agnoscit Seneca, in tegmentis capitis, & calceis Cantabrorum, immo & in quibusdam verbis. Sed